

Deum affigat et crucifigat? At vos hoc facitis. Vos, inquam, convivæ, qui alios vobiscum detinetis in potationibus et commensationibus nocturnis, donec animas Christi sanguine emptas prorsus enœctis, per ebrietatem et intemperantiam. A meridie usque ad occidentem fere solem supra quinque horas pependit in cruce Christus. Raro, citius nunc disceditur a conviviis, quin et ultra persistitur, donec vino somnoque convivæ sepeliantur. De his Nahum, c. I. dicitur: *Sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium.* Quis autem nescit, quam tenaciter sibi cohæreant spinæ se invicem complexæ? Quis absque læsione eas divellet? Quis, inquam, nisi ignis? Et hoc est quod sibi subjicit: *Consumuntur sicut stipula ariditate plena*: consumuntur nimirum igne. Hic diremit Hebræos illos, qui obtentis a Deo coturnicum carnibus, intemperanter et diu nimis sese ingurgitabant, ut indicat sacer textus, Num. XI. cum ait: *Adhuc carnes erant in dentibus eorum: et furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis*; igne videlicet, ideo enim locus ille vocatus est *incensio*, ut ibid. dicitur, § III. Sed cur punit illos Deus, cum ipse miseris eis carnes illas? Utique quia nimis diu et intemperanter epulabantur, uti indicantur, Ps. LXXVII. *Manducaverunt et saturati sunt nimis.* Nimis diu, nimis gulose. Ad extremum in luctu Hebræi abstinebant conviviis, Ezech. XXIV. § XVII. Qua in re fœde impegit quidam episcopus Clusinus, quia in die cinerum convivium sumptuosum suis nobilibus instruxit: repente enim paralysis eum corripuit et vultum ejus fœde distorsit, uti refert B. Petrus Damiani, epist. XVI. lib. V. epist.

Itaque, auditores, non prohibentur nobis convivia, sed convivia tantum diaboli. Præcedat oratio, sequatur gratiarum actio: sit modicus edendi et bibendi: sit honestas et pietas: absint colloquia prava: habeatur ratio temporis et licebit vobis adesse et gaudere simul in conviviis.

CONCIO V.

REPROBI A SEMITA VIRTUTIS DECLINANTES, VARIIS EX CAUSIS MISERI ET CECI.

I. Quia tales in difficiliorem incidunt viam. — II. Quia in via lutosa et turpi eunt. — III. Quia aliis damnosi. — IV. Quia in dolores et molestias incidunt. — V. Quia facile aberrant, et procul quidem.

THEMA.

Cæcus quidam sedebat secus viam. Luc. XVIII. Ascensurus Christus Dominus Jerosolymam ad passionem suam convocavit duodecim discipulos suos et assumpsit secum; non sane ut pas-

sionis suæ socios haberet, qui torcular crucis calcaturus erat solus, Isa. LXIII. sed ut haberet partim certaminis sui spectatores, partim aliquando imitatores: quo ad extremum haberet etiam regni sui consortes. Ad hujus regni consortium et ascensum multi quidem Christo se adjungere volunt: sed Jerosolymam ad passionem eunt, qui se associare velint, pauci reperiuntur. Via ducens ad cœlestem Jerosolymam et Christi regnum est virtus et observatio mandatorum Dei; quæ semita terenda est omnibus omnino eo contendentibus. Plurimi tamen, atque utinam non plerique, deflectunt ab hac via et abeunt per devia, per viam vetitæ voluptatis, nec abeunt tantum, sed et persistunt atque sedent cum hodierno cæco secus viam, quæ ad cœlum ducit. Quod si unquam alias, hoc præsertim contingit tempore, quo Jericho transeunda: stulta, inquam, et toties anathemate percussa bacchanalia, quorum typus non obscurus est Jericho, luna, inquam, varia et mutabilis quam significat. Quare ut ad virtutis tramitem revocemus Christi exemplo: (is enim cæcum extra viam sedentem jussit ad se adduci) cæcum et aberrantem mundum: videbimus eorum cæcitatem et miseriam, qui virtutis via derelicta ambulant in peccatis.

I. Qui a via regia vel a semita declinant, in difficiliorem et asperiorum incidunt. Semita enim plurimorum pedibus quasi dedolata adeoque complanata est: extra eam lapides, saxa, paludes, foveæ occurrunt, quæ difficiliorem reddunt gressum. Id aperte testantur reprobi illi Sap. V. *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis et ambulavimus vias difficiles.* Tametsi enim via virtutis videtur ipsis esse longe difficilior, id tamen ex eorum ignorantia contingit; quo modo via incognita apprehenditur multo longior, quam si foret cognita: quia hæc scitur esse finita adeoque tanta et non major, illa vero quia nescitur quanta sit, apprehenditur quasi termino careat, uti docet Aristot. problem. II. Quia igitur viam virtutis reprobi experti non sunt, hinc velut nimis difficilem sibi imaginantur, imo insuperabilem; adeo ut libidinosus putet neminem esse castum, avarus neminem liberalem. Hallucinantur igitur et dum virtutis viam asperam quidem initio fugiunt, ineunt longe difficiliorem. Hinc auctor op. imper. ho. XXVIII. in Matt. « Putas, inquit, quod peccatores istius mundi non laborant? Vere enim majores labores et sollicitudines habent, quam servi Dei dicente propheta: Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt. » Et paulo post: « Ergo laborant multum et conterantur in sæculo, sed laborem non sentiunt. Spiritus enim, qui seducit eos, ipse delectat in malo, etc. » Aliam ejus rei

causam esse nimiam eorum cupiditatem asserit S. Greg. I. XX. moral. c. XVI. in id Jer. III. *Inebriavit me absinthio.* Quomodo enim quis inebrietur tam amaro potu? Nimirum *amarum est, quod bibit, inquit, sed quia hoc nimis inhianter sumpsit, ejusdem amaritudinis malum discernere jam præ ipsa ebrietate non sufficit.* Nimirum uti foetidam putridamque aquam summo gustu bibit Artaxerxes, quia vehementissime sitiabat, apud Plut. in ejus vita, ita et peccatores non sentiunt labores suos, cæcitate cupiditatis. Interim hæc eorum cupiditas insatiabilis, qua nunc hoc, nunc illud appetunt, maxime eos affligit, præsertim quando eam explorare nequeunt. Scimus quantum cruciatus fuerit Achab, donec acquireret vineam Naboth, III. Regum XXI. quantum doluerit Aman, quod honorem a Mardocheo, quem appetebat, non acciperet, Esth. III. et V. quam acerbe senserit Mardocheum insperato honore sibi prælatum, cap. VI. quanta molitus sit David, ut tegeter adulterium suum, II. Reg. XI. quam perturbatus fuerit Antiochus cum spe sua exeidit, I. Macch. VI. quid non pertulerit Amnon, adeo ut ægrotarit propter amorem sororis, donec ea potiri posset, II. Reg. XIII. quantum laborarit Absalon, ut regnum patris invaderet, II. Reg. XV. quam confecerit invidia Cainum, adeo ut facies ejus plane conciderit, Gen. IV. Denique, S. August. lib. de patientia: « Intueamur, inquit, charissimi, quanta in laboribus et doloribus homines dura sustineant, pro rebus, quas vitiose diligunt, et quando se his feliciores fieri putant, tanto infelicius concupiscunt. Quanta pro falsis divitiis, quanta pro vanis honoribus, quanta pro ludicris affectionibus periculosissima et molestissima patientissime tolerantur, etc? » Sed cur hæc talia patiuntur inquis? Cur non viam virtutis potius ingrediuntur? Quia nimirum cæci sunt, uti exponit S. Hier. I. II. in c. III. Jer. *Amara sunt, inquit, quæ pro hujus vitæ amore tolerant, et tamen eandem amaritudinem cæcitate cupiditatis quasi insensibilitate ebrii ignorant.*

II. Qui extra semitam eunt, facile in lutum incidunt. Nemo enim nescit mundiorem esse semitam ac nitidiorum, utpote jam tritam ac consolidatam, quam si terra circumjecta. Non secus illi qui vitiorum viam gradiuntur, luto se contaminant, tanto fœdiore, quanto turpiores sunt labes animi, quam corporis. Imprimis enim immergunt se in res terrenas et infimas, quæ non sunt nisi lutum et quidem foetidissimum, uti sunt præcipue aurum et argentum, quæ nil nisi terræ glebæ sunt. « Quid sunt aurum et argentum? inquit S. Bern. ser. IV. de adventu; nonne terra rubra et alba, quam solus hominum error

facit (aut magis reputat) pretiosum, quid sunt gemmæ nisi lapides terræ? Quid byssus, nisi vermium, puta, bombycum fila? Quid uniones, nisi excrementa concharum? » Hinc merito ab Habacuc, c. II. appellantur *densum lutum.* In quam sententiam S. Greg. I. p. pastor. c. XXI. « Per lutum desiderium sordidæ voluptatis exprimitur, sicut psalmista deprecans ait Ps. LXVIII. Eripe me de luto, ut non inhæream. Luto quippe inhære est sordidis desideriis concupiscentiæ carnalis inquinari. » Lutum et sordes sunt carnis voluptates, quas sequuntur pecudes, spernere debent homines, utpote villissimas et animo humano indignas. Quare qui ad eas declinant, quasi ab hominum habitaculis et ædibus ad haras et stabula bestiarum migrant; ut inter eas vitam ducant, uti attestatur Joel, cap. I. *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Quod imprimis verum de luxuriosis, teste S. Gregor. lib. XXIV. moral. c. VI. « Jumenta in stercore suo computrescere est carnales homines in fetore luxuriæ vitam finire. Non enim esse homines sed jumenta declarantur, de quibus per prophetam Jer. capit. IV. dicitur: Unusquisque ad uxorem proximi sui hincibat. » Et de quibus propheta alius Ezech. c. II. dicit: « Ut carnes asinorum carnes eorum. » Deinde gulæ et ebrietatis mancipiis, quod testatur S. Hieron. in eum locum: *Computrescit, inquit, in stercore, cujus Deus venter est, et qui dicit: Manducemus et bibamus, cras enim moriemur.* Quibus convenit versio Chaldaica, quæ habet: *Computruerunt dolia vini, h. e. ebriosi, quorum venter dolium est.* Neque vero solum computrescunt pecudes istæ in animo, sed etiam plerumque in corpore, luxuriosi in morbo gallico et similibus, qui libidinem consequuntur, gulosi in phlegmonibus, vomitu et sordibus suis. Bene igitur de his D. Chrysost. in psalm. XLVIII. ait: *Sicut bruta viverunt, sicut bruta pereunt.* Quod insigniter exprimitur in grege illo porcorum, quos invaserunt dæmones et mox in mare præcipitarunt, Luc. VIII. ubi etiam expendendum quam cæci sint peccatores. Multum enim dedecoris et ingens supplicium intulisse dæmonibus Christus videretur, si suo imperio in tam immunda animalia ipsos natura sua tam nobiles adegisset: et tamen hoc ipsi sponte eligunt et quidem summis precibus impetrant. Et quid aliud agunt peccatores? Certatim in vitiorum cloacas ruunt, et inter se contendunt, quis prior descendat, idque multis sæpe precibus extorquent. Pro magno supplicio et ingenti dedecore condemnavit S. Marcellum Pp. Maxentius imp. in catibulum, ut inter bestias degeret et quasi computresceret. At hoc illi sponte sua stultissime sibi eligunt. Porro luti

illius fœtor sæpe tantus est, ut in publicum erumpat, et infamiam eis aspergat. Neque enim diu latere magna improbitas potest. Quid autem inter res humanas fama pretiosius? Quid infamia fœdius et perniciosius?

III. Qui a semita deflectunt, sæpe aliis damna dant, proferendo in agris segetes, vel in pratis gramen. Propterea enim rustici agrorum limites spinis, et prata sepibus vel erectis perticis muniri solent, ne quis viam regiam deserere, et in eorum agros aut campos ingredi præsumat. Qui a virtutis via ad vitia declinant, gravia damna inferunt tum aliis, jura eorum violando, mala exempla vel consilia dando, tum sibi, atque imprimis toti nonnunquam communitati, quæ ob unius scelus punitur, ut patet ex furto Achan, quod universum Hebræorum populum divino auxilio spoliavit, adeo ut jam stare coram hostibus suis non posset, Jos. VII. Id quod jure miratur S. Chrysost. hom. I. de verbis Isa. Vidi Dominum; ubi et hanc rationem affert: « Lues quædam inquit, est peccatum; per ultionem evulgetur ac traducatur apud omnes, ne corrumpas omnes, ut ubi cognorint quantas minas una peperit transgressio, fugiant ultionem de multis alioquin sumendam æternam vindictam. » Deinde, fit peccator unus scandalum et laqueus alteri, si non hortatu et consilio, saltem pravo exemplo: nemo enim libenter solus est malus, sed socios sibi quærit, quo audacius delinquat, contra adversantes se communiat. Hinc offenditur quicumque cum peccatore versatur, vel enim ei consentiet, et similis ejus efficitur: vel in aliquo dissentiet, et erit necessario inquietus; cogitur enim ipsum redarguere aut saltem sustinere, non modico profectus sui impedimento. Hinc S. Ephrem de recta vivendi ratione: « Quamprimum, inquit, capta a dæmone fuerit anima, ad alias decipiendas fit quasi laqueus, sicut perdix comprehensa pro esca illis proponitur, quæ nondum laqueo captæ sunt, circa illam auceps laqueos figit, ut voce sua perdix reliquas circumvolitantes ad eosdem pelliceat. » Hujusmodi aves illices describuntur, Sap. ubi inclusæ in cavea dæmonis sic cantillant: *Venite fruamur bonis, quæ sunt, etc.* Optime hoc consonat cum Sapiente, Prov. XXII. § V. qui ait: *Arma et gladii (Hebr. laquei) in via perversi: custos autem animæ suæ longe recedit ab eis.* Conatur enim reprobis sive vi et armis, sive astu et laqueis alios pervertere, ut cum ipso dæmonis mancipia fiant eique assimilentur. Lamentatur noc et Michæas, cap. VII. his verbis: *Omnes in sanguine insidiantur: vir fratrem ad mortem venatur.* Sed, quæ maxima cæcitas est, nocent etiam peccantes sibi ipsis, et quidem præ omnibus,

dum in dæmonis laqueos velut cæci incurrunt. Qui per interdicta loca, verbi gratia, per agros aut prata cum equis et curribus ingrediuntur, pœnis subjiciuntur: et qui a virtutis tramite deflectentes, per vitas peccatorum vias incedunt, in diaboli laqueos et muletationes incidunt, proque exiguo lucro aut voluptate æterni supplicii rei fiunt. Ridendos esse qui aureo hamo piscarentur, dicebat Octavius Augustus, h. e. qui minima commoda maximo damno caperent, apud Sueton. in Augusto. Quis enim pro tam exili præda, qualis est unius pisciculi, jacturam faciat hami aurei quod sæpius contingit? At quanto pretiosior est anima hamo aureo? Eam tamen peccatores prostituunt diabolo pro exigua voluptate et lucro.

IV. Qui viam regiam deserunt et alias non tritas ambulant; a jucunda ad injucundam, tetricam et morosam transeunt; siquidem in viis regiis semper occurrunt aliqui viatores, qui molestiam viæ detrahunt et hilaritatem inspergunt, qua carent ii, qui per avia et devia pergunt. Idem experiuntur, qui virtutis semita relicta, vitia sectantur: per solitudines enim vagantur cum pavore et tremore, quem causat sauciata eorum conscientia. Testes præter experientiam habemus inferos apud Sapientem, citato Sap. cap. V. ubi dicunt in Græca versione: *Ambulavimus, h. e. deserta, invia et inaccessa*: quod alii vertant *eremos*: alii *solitudines*. Quis autem nescit itinera per solitudines et deserta plena esse metu et formidine? Primo, ex timore occurrentium bestiarum et monstrorum, tametsi nulla occurrant. Idem experitur peccatoris conscientia, ut patet in Adamo qui cum post lapsum audisset vocem alicujus deambulantis in paradiso, statim cogitavit esse vocem ipsius Dei, iudicis sui, quem offendisset, ideoque mox abscondit se, ut advertit Sanctus Chrysostomus, hom. VIII. ad pop. « Unde cogitavit, inquit quod Deus deambulabat? Talis est peccantium consuetudo, omnia suspecta habent, umbras tremunt, omnem strepitum timent, et quæcumque putant contra se venire. » Ita filius ejus Cain, quasi in deserto foret, ubique incursiones sive hominum, sive bestiarum metuebat et sibi ipse fingeat. Quam etiam ob causam, ni fallor, David appellat se *nycticoracem*, Ps. CI. (*Factus sum sicut nycticorax in domicilio*.) quasi propter peccatum suum omnibus exosum redditum et opprobrium hominum, qualis est noctua vel nycticorax inter aves: tametsi non foris inter homines, sed domus versaretur.

Deinde, ex desolatione et destitutione omnis auxilii, si quid adversi alicui contingeret. Quis enim in deserto speret opem alienam? Pari modo

peccatores vident se derelictos a Deo et hominibus: illum juvare non velle, velut offensum: istos non posse. Justus cum humana ope destituitur, ad Deum recurrit, et ibi reperit opem. At hoc solatio carent peccatores, cum Deum sibi offensum sciant et jure offensum. Unde optime dixit S. Chrysost. hom. V. de providentia, tom. V. *Nihil est peccante pauperius.* Justus cum foris premitur, recurrit ad conscientiam suam, et ibi invenit asylum: at vero peccatores carent hoc refugio, quia in conscientia sua inveniunt tormentum. Unde Augustinus, in Ps. XXXIII. post initium: « Quomodo inquit, nolunt intrare domos, qui malas habent uxores; intraturi enim sunt ad tædia, ad murmura, ad amaritudines, ad eversiones, quia non est domus composita, ubi inter virum et uxorem pax nulla est. Et melius est illi foris circuire. Si ergo miseri sunt, qui redeunt ad parietes suos, timent ne aliquibus suorum perturbationibus evertantur, quanto sunt miseres, qui ad conscientiam suam redire nolunt, ne ibi litibus peccatorum evertantur. » Denique, ex difficultate emergendi e tam vasta solitudine nascitur formido euntibus per deserta: et similiter peccatoribus, quando se reflectunt, quomodo aliquando rationem Deo reddiduri, seque extricaturi sint ex tot accusatoribus coram Dei tribunali. Hæc enim cogitatio eorum viam alioquin latam et spatiosam, reddit angustam et difficilem, nec sinit eos frui pacifice suis delectationibus, nimio hoc sale plane destructis.

V. Qui a via regia alias deflectunt, facile aberrant, ut multo labore compensare suum errorem cogantur. Allicit multoties loci amœnitas, ut viator a trita via ad illum declinet; sed ubi spatium longiore processerit videt se deceptum, et vel esse inclusum, vel in devia delatum, ut nesciat ubi sit et quo tendat. Talis est peccantium uti docet Sapiens, Prov. XIV. *Est via, quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Septuaginta vertunt: *Est via quæ apud homines recta videtur, interim novissima ejus ad inferorum fundum deducunt.* Quænam vero illa: *Via hoc loco*, ait auct. catenæ Græcæ, *est mens aut voluntas humana libidine occæcata quæ bonis veris apparentia, stabilibus fluxa, temporanea sempiternis anteponit.* Videtur hæc via recta, quia est plana, amœna, spatiosa: sed ad finem seducit, dum ad latrones vel præcipitia ducit; quod aliis etiam verbis explanat Ecclesiast. c. XXI. *Via peccantium complanata lapidibus, et in fine illorum inferi et tenebræ et pœnæ.* Fida relatione accepti in quadam celebri Italiæ civitate sic expediti aliquos reos capitis intra privatos parietes: deduci eos a duobus viris in aulam spatiosam et ornata, quasi deambulatum; ita tamen ut reus tan-

dem veniat ad asserem dolosum in pavimento stratum, qui cum ad ejus terminum reus pertingerit, repente se ad muscipulæ modum invertat et miserum in mille subtus occultos gladios incidendum dejiciat. Dolosam etiam hujusmodi scalam Romæ olim constructam, in qua gradus unus fallax, pede pressus, cedebat et hominem in fictiti draconis dentes, gladios, inquam, mille acutissimos dejiciebat, descripsimus alibi, ex Prospero Aquitan. de prædict. p. III. cap. XXXVI. Ad vivum istæ machinæ depingunt impiorum viam, quæ sequitur concupiscentiam, planam, jucundam, amœnam ingredientibus; quæ tamen ad extremum aliam ostendit faciem et sese convertens hominem devolvat in interitum. Hæc via seductus fuit Pharao cum exercitu suo. Putabant Ægyptii, cum mare sunt ingressi, viam illam esse tutissimam, utpote jam tritam et superatam a Judæis maximo cum plausu; præterea gratiosam inter aqueos parietes sibi paratam ad agendas ex Hebræis prædas: videbatur viâ strata et complanata lapidibus, et ad spolia expedita: *Persequar et comprehendam, aiebat, dividam spolia, implebitur anima mea.* At in fine viæ delusos se viderunt, cum aquæ corruentes velut aucupum retia omnes operuerunt. Ibi quidem illi clamare et vociferari: *Fugiamus Israel, sed in vanum et sero nimis.*

Postquam igitur vidimus, quam periculosum sit a virtutum semita deflectere ad viam errorum vitiam, videat jam quisquis qua via insistere velit. Certe enim hæc res tanta est, ut ipse Deus querula voce, Jerem. XVIII. doleat super errores illos, dicens: *Oblitus est mei populus meus frustra libantes et impingentes in viis suis et in semitis sæculi, ut ambularent per eas in itinere non trito, q. d. deflectentes a via cæli regia.* Itemque rursus Isa. LXV. *Expandi, inquit, manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* Ex S. Hieronymi sententia in eum locum significant hæc expansæ manus, patris clementiam filios suos in sinum recipere gestientis; necnon et Christum in cruce manus pendentem ad nos revocandos a periculosa illa via. Deflet illos et apostolus ad Philipp. III. *Multi ambulant, ait, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi quorum finis interitus, etc.* et nos improbi adhuc pergemus ire via non bona, via difficili, via lutosa, via damnosa, via molesta, via fallaci? Absit, absit, *Revertere, revertere Sunamitis, revertere*, et redi ad viam Domini, ad viam salutis; quæ ducit in Jerusalem, pacis visionem.